

speciem sacrilegii, quæ distincta species est, contra distinctam virtutem, et præceptum; sed tamen illa species in illo actu accidentaliter se habet, et non essentialiter, quia supervenit actui constituto in sua specie morali, scilicet homicidio, hic enim actus ex objecto suo immediato, et proximo habet constitui in specie homicidii: locus autem sacer, in quo committitur homicidium est circumstantia, non objectum, et sic non dat speciem essentialem, etiam in genere moris, quia illa est species essentialis, quæ provenit ex objecto. Quod si aliquis intenderet violare locum sacrum, et sacrilegium facere, et ad hoc eligeret tamquam medium, homicidium, tunc violatio loci sacri esset objectum actus intentionis, et illi daret speciem essentialem; esset autem circumstantia finis, et non solum loci respectu actus electionis eligentis homicidium, quia illa electio ex objecto est homicidium, et consequenter ab illo habet speciem essentialem, non ex fine intentionis, seu operantis, qui est circumstantia cur.

XVI. Ad illud exemplum de mutatione speciei ex diversa qualitate personæ, ut cum soluta, vel conjugata, respondetur illam circumstantiam transire in conditionem objecti, et dare speciem distinctam, quia pertinet ad materiam actus venerei, ut S. Thomas docet secunda secundæ, quæstione CLIV, articul. 1. Et hoc ideo, quia in venereis personæ ipsæ præbent materiam actui, in quantum fornicantes in proprium corpus peccant, ut inquit Apostolus I ad Corinthios VI, et sic circumstantia personæ quatenus in ipsa materia actus, quæ est delectatio venerea, inducit diversam deformitatem, et repugnantiam ad rationem, transit in conditionem objecti, quia materia actus est objectum ipsius, et

secundum diversam repugnantiam ad rationem, sumitur diversa ratio formalis moralis in tali actu, ipsa autem persona, quia non solum continet in se rationem causæ agentis (quod pertinet ad circumstantiam) sed etiam præbet materiam (quæ pertinet ad objectum) ideo diversa conditio personæ, quatenus refunditur in materiam, et specialem repugnantiam ad rationem in ea inducit, transit in conditionem objecti.

XVII. Quod vero dicitur de modo mutante speciem actus, respondetur diversum illum modum non esse modum accidentalem in genere morali, sed formalem, et essentialem; quia mutat ipsam materiam, seu objectum in ratione formali objecti moralis, licet enim videatur pertinere ad diversum situm, et collocationem corporum in esse physico, sic commisceri intra, vel extra vas, tamen in genere delectationis venereæ, plusquam specie differunt in ordine ad finem proprium talis delectationis, quæ est generatio: nam ex illo accessu extra vas non potest sequi generatio, sed ex accessu ad intra modo debito, et sic in genere formalis rationis, et objecti motivi tenentis se ex parte materiæ talis actus, et non solum ex parte circumstantiæ accidentalis differunt. Ad id vero quod dicitur de circumstantia finis vanæ gloriæ in eleemosyna, respondetur illum finem destruere bonitatem eleemosynæ, quam habet ex objecto proximo: et ideo transit illa circumstantia in conditionem objecti, quia destruendo bonitatem quæ est ex objecto, subrogat loco illius malitiam quatenus illam eleemosynam, quæ de se deberet esse actus virtutis, si ordinaretur solum ad misericordiam præstandam fit materia vanitatis quatenus sumitur ut medium ad illam consequendam, et ostentandam, et

sic vitiatur ipsa materia, etiam in quantum est objectum, et materia actus, quia fit materia vanitatis; destruitur ergo ratio ipsa objectiva ab illa circumstantia finis, et sic transit in conditionem objecti. De hoc autem plenius differetur intra circa quæstionem XVIII, disputatione decima.

XVIII. Ad confirmationem respondetur circumstantiam in quantum pure est circumstantia, et accidentaliter adveniens, esse volitam accessorie et consecutive, non primario et directe; ideoque non est objectum specificans, sed conditio objecti specificationem concomitans. Nec enim omnia, quæ ab aliquo actu, vel potentia attinguntur se habent ut objecta per se, et directe, sed aliqua ut modi, vel conditiones, aut aliquid materiale: sicut visus non solum attingit colorem, qui est objectum, sed etiam substantiam, quæ est sensibile per accidens, et motum, et figuram, et alia similia, quæ se habent ut modi, et conditiones accidentales colorati. Verum tamen cum multoties circumstantia unius actus sit id, quod est vera, et essentialis species respectu alterius, ut sacrilegium respectu furti, mœchia respectu homicidii; tunc licet respectu actus cuius est circumstantia non sit directe, et per se volita, potest tamen esse respectu alterius, ad quem comparatur ut species: sicut qui furatur propter mœchiam, actus furandi non directe vult mœchiam, sed in obliquo, et de connotato. Actus tamen intentionis, qui respicit finem mœchiæ, directe respicit illam ut objectum; quod enim est circumstantia respectu electionis, est objectum respectu intentionis. Unde colliges quomodo circumstantia possit esse volita eodem actu, quo objectum, scilicet in quantum est volita ut accessorie se habens ad objectum, et sub respectu, et for-

mali ratione ipsius, non ut est objectum alterius actus. De quo plenius dicemus infra disputatione sequenti.

XIX. Tertio inquires, quot sint circumstantiæ, et quomodo earum numerus colligatur. Respondetur septem numerari circumstantias a D. Thoma in hac quæstione, articul. III, et componit eas quas numerat Cicero in rhetorica cap. I, cum his, quas numerat Aristoteles III ethicorum, cap. I: quæ numerantur a Cicerone illo versu continentur

QUIS, QUID, UBI, QUIBUS AUXILIIS, CUR, QUOMODO, QUANDO.

XX. Aristoteles vero prætermisit ubi, et quando, utramque sub una includens, scilicet, in quo, quæ circumstantia complectitur in quo loco, et in quo tempore. Addidit autem circumstantiam circa quid, quam Tullius comprehendit sub nomine quid. Etenim ly quid, est effectus secutus ex aliquo actu, et quia effectus non oritur nisi circa aliquam materiam, tangendo effectum, tangitur materialis causa ejus.

XXI. Colligit autem D. Thomas sufficientiam hujus enumerationis, eo quod circumstantia non est ipsa substantia actus, sed accidens tangens ipsum, quia accidens illius est. Potest autem tangere actum, vel immediate in se, vel in sua causa, vel in suo effectu (cum enim moraliter tangat, non est necesse, quod semper tangat immediate.) Quod tangit immediate actum, seu afficit ipsum, est vel mensura, quæ pertinet ad locum, et tempus, vel qualitas, quæ pertinet ad modum; et sic sunt tres circumstantiæ ubi, quando, quomodo. Reliqua accidentia, vel prædicamenta non habent locum. Non substantia, quia hæc non pertinet ad accidens ipsius actus, sed ad subjectum. Non quantitas, quia ac-

tus moralis in se non quantificatur, quia non dependet a subjecto corporeo. Ex parte vero effectus si datur quantitas, pertinet ad circumstantiam quid. Non relatio, quia hæc non est circumstantia, nisi ratione sui fundamenti; ille enim respectus erit accidentalis actui, qui in aliquo ipsi accidentali fundatur: fundamenta autem accidentalia ad istas circumstantias numeratas reducentur. Non actio, quia actionis non datur alia actio, hic autem numeramus circumstantias actus, seu actionis. Non passio, quia pertinet ad effectum, et includitur in circumstantia quid. Non situs, quia pertinet, et includitur cum loco, seu ubi, aut cum modo se situandi. Non habitus, quia hic includitur in dignitate, seu accidenti personæ, quæ est circumstantia quis, ut si aliquis indutus sacris turpiter operetur.

XXII. Si vero accidens, et circumstantia moralis attingat ipsum actum non in se, sed in suo effectu, est circumstantia quid, id est, quid consequitur ex actu. Si attingat in sua causa, vel se tenet ex parte causæ finalis, et est propter quid, seu cur, vel ex parte causæ efficientis principalis, et est persona seu quis: vel ex parte causæ instrumentalis, et est quibus auxiliis: vel denique est causa materialis, et hæc si est materia circa quam, pertinet ad circumstantiam circa quid, quam Cicero recte includit in circumstantia quid, quæ est effectus, eo quod materia circa quam; si est objectum, non pertinet ad circumstantiam, sed ad specificativum; si est id in quo, vel ex quo fit effectus, pertinet ad illam accidentalitatem, ad quam pertinet effectus. Si vero causa materialis, non est materia circa quam, sed subjectum in quo inhæret actus, sic non est accidens illius, sed subjectum: aut si accidentali-

ter se habeat subjectum ad actum, pertinebit ad circumstantiam quis, quæ est persona, quæ elicit, et suscipit actum. Causa formalis præmittitur, quia si forma est essentialis pertinet ad substantiam, et essentialis actus; si accidentalis, pertinet ad aliquam ex enumeratis circumstantiis; ergo ista enumeratio, et collectio D. Thomæ est sufficientissima, omnesque difficultates contra illam ex dictis possunt dissolvi. Quæ vero circumstantiæ numerantur a Nysseno, et Damasceno, ad istas reducuntur, et quæcumque aliæ, licet aliqui plures numerent; sed non multum interest, quia aliquas ponunt, quæ vel circumstantiæ non sunt, vel ad istas reducuntur.

XXIII. Quarto inquires, quomodo singulæ circumstantiæ explicandæ fiunt, respondetur quod prima circumstantia quis, intelligitur de persona operante. In persona autem operante potest intelligi aliquid essentialiter pertinens ad actum, et aliquid accidentaliter. Essentialiter pertinet, quod sit persona libere operans cum usu, et iudicio rationis. Accidentaliter pertinet dignitas, vel officium personæ, aut status, quando ad considerationem moralem spectat. Nam cum omnis operatio essentialiter sit processio ab aliquo principio, etiam operatio moralis, et libera erit processio a principio libero, et ratione utente. Quare hoc quod est de substantia personæ, ut principium, est actus liberi, non est circumstantia actus, sed ad illum per se requiritur (quod male aliqui contra D. Thomam negant, quasi in hoc oppositum sentiat Aristoteles a D. Thoma, ut Vasquez infra citandus censet) si quidem substantia actus liberi non potest salvari sine hoc, quod procedat a principio libero, quod utique est persona. Sed quod persona sit talis dignitatis, verbi

gratia, episcopus, vel clericus, aut talis conditionis, et status, quæ conducatur ad moralem considerationem, ut conjugatus vel solutus pro venereis, iudex vel privatus pro obligatione ex justitia facienda, ista sunt accidentia, et circumstantiæ ex parte personæ quæ aggravant, minuunt, aut mutant speciem.

XXIV. Nec obstat, quod philosophus tertio ethicorum, capite primo, dicit hanc circumstantiam quis a nemine posse ignorari nisi sit insanus, nemo enim se ipsum potest ignorare; constat autem, quod potest aliquando ignorare quis statum suum, ut potest ignorare votum suum, et an sit conjugatus, si non scit an sit mortua uxor ejus. Sed dicimus, quod statum proprium, et circumstantiam quis, nemo potest ignorare in sensu formali, in quo locutus est philosophus: dixit enim: «Quod neque se ipsum agentem ignorare potest:» id est, in quantum agentem, et quoad eam circumstantiam sui, quam applicat ad agendum. Quæ vero non applicat ad agendum, aut quia oblitus est, ut votum præteritum, de quo non recordatur, aut mortem conjugis absentis, quia non dependet a se, bene potest ignorare. Quidquid vero applicat ad agendum ex parte sui, ignorare non potest, nisi sit insanus. Unde etiam si recordatur de voto, aut de conjugate saltem dubitando, non ignorat statum suum, quia licet non sciat pro certo, tamen saltem dubitat, et ita aliquo modo cognoscit. Non dixit autem philosophus quod se ipsum agentem quoad omnia pro certo sciat, sufficit quod saltem dubitative. Ea vero quæ aliquis agit, etiam in quantum agit, et applicat ad agendum potest ignorare, ut ibi dixit philosophus, quia circa ea, quæ extra se sunt, casualiter, et fortuito, atque adeo ignoranter potest applicare ad agendum. Quæ vero in

se sunt, et applicat ad agendum, quomodo ignorare potest? Si vero non applicat ad agendum, nec pertinent ad se ut agentem, quid mirum quod ignorare possit?

XXV. Secunda circumstantia est quid. Non significat quidditatem, vel objectum, aut principium constituens, quia totum hoc pertinet ad substantiam, non ad circumstantiam; sed significat quid consecutum, id est, effectum ex tali actu secutum, verbi gratia damnum, aut utilitatem, etc. Vel etiam significat aliquid accidens adjunctum ipsi objecto, verbi gratia, aliquam quantitatem, ut quod in furto aliquis furetur centum, et non solum decem (quod tamen reducitur ad damnum secutum) vel aliquam qualitatem, ut quod percutiat clericum, et non laicum; prælatum, non privatum: quod accedat ad conjugatam, non ad solutam, vel ad consecratam, aut consanguineam. Unde mutuo sibi correspondent in ratione circumstantiæ quis et quid, ut sicut quis dicit aliquid accidens, seu auctoritatem, et statum personæ, ita quid dicit aliquid accidens objecti, vel effectum ex actu secutum.

XXVI. Cæterum neque in hoc Vasquez quiescit, sicut neque in explicatione circumstantiæ quis supra relata, sed objicit hic disput. xxx, cap. II, in hac circumstantia explicanda D. Thomam ab Aristotele dissentire, quia Aristoteles nomine quid intelligit ipsam substantiam actus; D. Thomas accidens objecti, vel effectum actus. Probatur ex Aristotele, quia pro exemplis circumstantiæ quid proponit, cum aliquis per ignorantiam revelat secretum, aut quando mittens telum occidit hominem, ignorat enim quid faciat, sed substantia illius primi operis est revelatio secreti, et hujus secundi est homicidium, et utrumque est

ignoratum ; ergo circumstantia quid est substantia actus, quia hanc circumstantiam quid dicit in illis exemplis Aristoteles esse ignoratam. Sed respondetur facile Aristotelem ibi solum intendere, quod circumstantia quis non potest ita ignorari ab operante, sicut ignorari potest circumstantia quid, ut in exemplis allatis manifestatur, in quibus non ignorabatur substantia actionis, verbi gratia prolatio illa verborum, immissio illa teli, sed ignorabatur aliquod accidens, verbi gratia quod id, quod dicebatur, esset secretum, vel aliquis effectus, ut quod ille iactus teli causaret mortem, hæc enim erat effectus illius actionis, non substantia : et rem illam esse secretam, accidens erat rei dictæ, et prolationis verborum, non quidditas, vel etiam sequebatur effectus malus, scilicet secreti manifestatio, quæ ex tali prolatione verborum sequebatur. Unde ergo probat Vasquez illud quid esse substantiam actionis ?

XXVII. Tertia circumstantia est ubi, id est, locus, in quo fit actio. Qui quidem potest attendi, aut quia est publicus vel privatus, sanctus vel profanus. Et quidem in loco publico peccare reddit peccatum publicum, et scandalosum, quod non fit in loco privato : multa enim licent in secreto, quæ in loco publico indecentiam afferunt. Similiter in loco sancto consideratur, vel ratio indecentiæ, vel ratio injuriæ, quæ fit sanctitati loci, si sibi aliquod malum fiat. Et quidem omne peccatum in loco sacro indecentiam habet, si in loco sacro fiat : *Quia domum Dei decet sanctitudo* ; non tamen omne peccatum injuriæ infert sanctitati loci, quia non omne peccatum profanat illum ; tunc autem fit specialis injuria loco sancto, quando profanatur, seu ad profanos usus tra-

ditur, sic enim violatur sanctitas, et quasi suo jure privatur, quia solis usibus sanctis destinatus est : sicut si in eo committatur luxuria, homicidium ; si fiat ibi commercium, negotiatio, forum ; si denique quibuscumque profanis usibus destinetur, talis loci abusus sacrilegii speciem inducit. Alia vero peccata, quæ in loco sacro commissa sanctitatem non violant, sacrilegii speciem non faciunt, licet indecentiam afferant, quia in tali loco fiunt, et accidentaliter ex indecentia loci aggravari possunt, ut si quis in ecclesia desperet, præsumat, aut superbiat, vel alia similia faciat, non ex hoc quod in ecclesia facit speciem sacrilegii incurrit.

XXVIII. Quarta circumstantia est quibus auxiliis. Ubi nomine auxiliorum possunt intelligi, et personæ, quarum quis utitur opera ad aliquod negotium, et exteriora instrumenta quibus exequitur, vel quæ præparat ad exequendum, verbi gratia, si quis utatur auxilio infidelium ad aliquod bellum ; si incantationibus magicis ; si ope dæmonum, illa præbent speciem malitiæ distinctæ, verbi gratia, superstitionis, aut invocationis dæmonum, societatis et favoris infidelium. Similiter si aliquis alterum occidat instrumento lente, et majori cruciatu necante, quam cito perimente ; aut si aliquem arundine, vel fuste, ignominie causa percutiat, quæ aliquando solum aggravant, aliquando speciem mutant ut quando non solum percutiunt, sed etiam dehonorationem faciunt, eo quod tali instrumento fiunt.

XXIX. Quinta circumstantia est cur, seu propter quid. Hæc circumstantia est finis, seu intentio, quæ electionem ipsam afficit. Est autem duplex finis, scilicet operis, et operantis : finis operis est objectum immediatum, et proximum ipsius actus. Finis operantis est id cujus

gratia, et qui movet efficientem ad eligendum media, et operandum. Hic autem finis sic movens, et cujus gratia, etiam est objectum aliquus actus, scilicet actus intentionis, qui dicitur actus interior, seu imperans : est vero finalizans, et movens respectu actus exterioris, et imperati, qui est electio, et executio. Igitur finis operis nunquam est circumstantia, sed substantia, quia est formale specificativum, cum sit objectum : et similiter ipse finis operantis respectu actus illius interioris, qui est intentio, non est circumstantia, cum sit objectum proprium et specificativum illius. An vero finis operantis respectu illius actus exterioris, et imperati, qui ab ipso movetur, et finalizanter potest habere rationem circumstantiæ accidentalis, in quantum pure finalizat, et metaphorice movet, sic enim potest accidere actui, quod imperetur, vel finalizetur a tali fine, ut quod furtum fiat propter mœchiam, vel propter ludum, vel propter homicidium, et tunc furto accidit talis finis, et est circumstantia furti, nec enim dat specificativum objectum, etiam in esse morali, quia hoc est res aliena ablata ; superaddit ergo aliquid accidentale. Et quia ille finis operantis fuit objectum prioris actus intentionis, cui speciem dedit, ideo quando circumstat affert novam speciem illa circumstantia finis, sed accidentalem. Nec fertur ille actus, etiam ut exercetur hic et nunc, in furtum prout stat sub ratione mœchiæ, vel homicidii tamquam sub ratione specifica sibi, et essentiali, sed tamquam sub ratione impellente, et finalizante, et sic etiam prout exercetur hic et nunc respicit mœchiam ut circumstantiam. At vero si finis ille operantis non pure finalizet et moveat ad actum, verbi gratia, ad electionem, seu executionem, sed ulterius mutet rationem forma-

lem propriam, et specificativam actus, et loco illius subroget suam malitiam, vel bonitatem, tunc non est præcise finalizans, sed etiam formalizans, seu specificans, et tunc circumstantia transit in conditionem objecti, id est, in munus, et officium objecti, quod est specificare. Hoc autem fit, quando finis est malus, et vitiat actum electionis bonum, ut si propter vanam gloriam fit eleemosyna, vel etiam quando actus est indifferens, ut ire in campum, et ex fine vitiatur, aut rectificatur, de quo dicemus circa quæstionem XVIII, art. X et XI.

XXX. Sexta circumstantia est quomodo. Hæc circumstantia dicit modum. Qui potest considerari, vel ex parte operantis, ut quod tarde vel velociter, prompte vel inepte operetur, sicut in gula solet attendi, quod aliquis præpropere, vel arden-ter comedit ; et in contentione quod sit nimis ardens, et similiter in aliis negotiis. Vel potest considerari ex parte ipsius actus, ut quod sit intensior, aut remissior, quod in merito maxime consideratur. Vel tertio ex parte mediorum, et effectuum quos facit, et adhibet, ut si per fraudem, aut insidias occidat ; si pro deliciis adhibeat modos extraordinarios, in gula, in venere, in statu, et cultu. Communiter ista circumstantia non mutat speciem, quia tantum modificat, et sic supponit illam.

XXXI. Septima circumstantia est quando, id est, tempus. In quo duo considerantur, scilicet qualitas temporis, et quantitas, seu extensio. Qualitas, ut quod sit dies festus, et non audiat missam, aut faciat opus servile ; tunc enim circumstantia temporis vitiat, et transit in conditionem objecti ; et similiter si dies sit prohibitus, ut dies jejunii, et frangat illud. Quod si in diebus sacris commiserit peccatum, est cir-

cumstantia qualitatis temporis, sed non speciem mutans: et aliqui existimant etiam, quod non aggravat saltem notabiliter. Quantitas temporis consideratur penes multum, vel parum durare. Et hæc etiam est pura circumstantia, non speciem mutans, et regulariter non est aggravans notabiliter, nisi sit diurnitas valde notabilis juxta materiam, et qualitatem operis.

XXXII. Illud vero est notandum ad evadendum in hac circumstantia argumenta calculatoria quæ valde importuna sunt, ut si quis in instanti horæ meretur aliquid, quantumcumque parum, et in parte immediata aliquid amplius, et in alio instanti amplius, et sic de aliis, merebitur in fine horæ infinitum; attendendum, inquam, est quod si istæ calculationes physice fiant, non concludunt physicam infinitatem simpliciter, sed secundum quid, et secundum partes proportionales, et indesignatas; quia licet in hoc instanti mereatur aliquid certum, et determinatum, tamen immediate post in parte incerta temporis non meretur aliquid certi, et determinati, sed incerti gradus, nisi detur

majus auxilium determinatum, et distinctum, non præcise continuatum juxta durationis modum. Esse autem infinitas partes proportionales in duratione actus, et meriti non magis facit infinitum, quam in ipso tempore, vel in continuo. Si vero calculatio fiat moraliter, et non secundum divisionem physicam, sic multo minus sequitur infinitas: quia in instanti, et in parte immediate subsequenti, et in parva mola totum pro eodem reputatur moraliter, nec diversa ratio meriti consurgit, sed est eadem, quia non possunt homines moraliter diversam advertentiam, et judicium, vel voluntatem habere, sed eandem pro instanti, et parte brevi temporis.

XXXIII. De circumstantia quoties, quæ ab aliquibus ponitur pro circumstantia, et pertinet ad numerum, et repetitionem actuum, unde fit consuetudo, dicimus illam non esse circumstantiam, sed numerum actuum, qui diversam substantiam materialiter facit, et numerus semper confitendus est in peccatis, ut determinat Concilium Tridentinum sessione XIV, capite quinto.

QUÆSTIO VIII.

DE VOLUNTATE, QUORUM SIT UT VOLITORUM.

Incipit ab ista quæstione agere D. Thomas de actibus voluntariis in particulari. Et primus actus est simplex voluntas finis, deinde fruitio ejus, id est, complacentia interior; deinde intentio, et postea circa media est electio. Unde in præsentibus voluntas non sumitur pro potentia volendi, sed pro actu simplici volitionis, qui eodem nomine appellatur, quo voluntas. Quod patet ex ipso D. Thoma in initio hujus quæstionis, ubi dicit se agere de voluntate pro ipso velle, licet in processu quæstionis etiam plura attingat de ipsa potentia, quia id conducit ad explicationem talis actus.

SUMMA LITTERÆ.

Tres articulos facit D. Thomas. In primo inquit an voluntas sit tantum boni. Et respondet, appetitum prosecutivum tantum esse boni, quia est per modum inclinationis, et inclinatio semper est in aliquid conveniens, non ei repugnans. Appetitus vero fugiens est de malo, quia est de disconvenienti. Et loqui se de actu voluntatis qui est volitio et prosecutio, exprimit solutione ad primum.

In secundo articulo inquit, an voluntas sit tantum de fine, an etiam de mediis. Respondet voluntatem pro potentia ad utrumque se extendere, quia etiam in mediis invenitur appetibilitas; nam eliguntur. Si vero sumatur voluntas pro simplici volitione, sic est solum de fine, quia volitio de mediis est propter aliud; et sic non est simplex, nec prima volitio.

In tertio articulo inquit, an eodem actu moveatur voluntas in finem, et in media. Respondet quod in finem dupliciter fertur voluntas, vel absolute, et secundum se, vel ut est ratio appetendi media. Primo modo, est diversus actus, quo tendit in finem, et quo in media. Secundo modo, attinguntur media sub fine eodem actu, et hoc est simul attingere finem, et media, id est, finem non in se, sed ut est ratio mediorum. Videtur loqui in hoc articulo D. Thomas de voluntate pro potentia, ut tamen conducit ad melius explicandum simplicem actum volitionis, qui omnino media non attingit, etiam prout finis est ratio volendi illa, quod restabat explicandum post secundum articulum.

QUÆSTIO IX.

DE MOTIVO VOLUNTATIS.

Simplex volitio cum sit primus actus, quo voluntas incipit aliquid velle, quia vult finem secundum se, non in ordine ad media, nec media propter finem, ideoque non duplicat objecta, sed simplex actus dicitur, indiget